Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Epistola ad Corinthios II: prologus

urn:nbn:de:bsz:31-42065

reponat recondens quod ei beneplacuerit ut
non tum venero tunc collecte fiant. Cum autem
presens fuero quos probaveritis per epistolas hos
mittam perferre gratiam vestram in Ierusalem.
Quod si dignum fuerit ut et ego eam, mecum
ibunt. Veniam autem ad vos cum Macedo
niam pertransiero. nam Macedoniam per
v aut transibo. apud vos forsitan manebo vel et
hiemabo. ut vos me deducatis quocumque
iero. Nolo enim vos modo in transitu videre.
Spero enim me aliquantum temporis manere apud
vos. si dominus permiserit. Permanebo autem Ephesi
usque ad Pentecosten. Ostium enim mihi apertum
est magnum et evidens. et adversarii multi.
Si autem venerit Timotheus. videte ut sine
timore sit apud vos. Opus enim domini operatur
sicut et ego. Ne quis ergo illum spernat.
Deducite autem illum in pace. ut veniat
ad me. Expecto enim illum cum fratribus. De
Apollo autem fratre notum vobis facio. quoniam mul
tum rogavi eum ut veniret ad vos cum
fratribus. Et utique non fuit voluntas eius ut nunc
veniret. Veniet autem cum ei vacuum fuerit.
Vigilate. state in fide. viriliter agite et con
fortamini. Omnia vestra in caritate fiant. Ob
secro autem vos fratres. nostis domum Stephane et
Fortunati et Achaici. quoniam sunt primitie A
chaie et in ministerium sanctorum ordinaverunt
se ipsos ut et vos subditi sitis eiusmodi. et omni
cooperanti et laboranti. Gaudeo autem in presen
tia Stephane et Fortunati et Achaici. quoniam id
quod vobis deerat ipsi suppleverunt. refecerunt
enim et meum spiritum et vestrum. Cognoscite ergo
qui eiusmodi sunt. Salutant vos ecclesie
Asie. Salutant vos in domino multum Aquila
et Prisca cum domestica sua ecclesia apud
quos et hospitor. Salutant vos fratres omnes.
Salutate invicem in osculo sancto. Saluta
tio mea manu Pauli. Si quis non amat
dominum Iesum Christum sit anathema mara
natha. Maranatha. Syrum est. Interpre
tatur dominus venit. Gratia domini nostri Iesu Christi
vobiscum. Caritas mea cum omnibus
vobis in Christo Iesu. Amen. Explicit epistola I.
ad Corinthios. Incipit prologus in secundam epistolam

Post actam penitentiam ad Corinth.
consolatorias scribit eis lit
teras a Troade per Titum
et collaudans eos horta
tur ad meliora. contristatos quidem
sed emendatos ostendens. Explicit
prologus. Incipit secunda epistola ad
Corinth.

Paulus
apostolus Iesu Christi
per voluntatem dei et
Timotheus
frater ecclesie dei
que est Corin
thi. cum sanctis
omnibus qui sunt in universa Achaia. gratia
vobis et pax a deo patre nostro. et domino Iesu Christo.
Benedictus deus et pater domini nostri Iesu Christi
pater misericordiarum et deus totius conso
lationis qui consolatur nos in omni tribu
latione nostra. ut possimus et ipsi consola
ri eos qui in omni pressura sunt. per
exhortationem qua exhortamur et ipsi a
deo. quoniam sicut abundant passiones Christi
in nobis. ita et per Christum abundat consolatio nostra.
Sive autem tribulamur pro vestra exhorta
tione. sive consolamur pro vestra consolatione
et salute. sive exhortamur pro vestra ex
hortatione et salute que operatur tol
lerantia earundem passionum quas et
nos patimur. ut spes nostra firma sit pro
vobis. Scientes quoniam sicut socii passionum

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg